

cum istum adhibeat, quum & eo ipso, neque injuria, utantur Catholici ad suam stabiliendam. Neque is ignorat, quot interpretatationibus obnoxia heic sint Johannis verba. Profecto si Burnetus heic *Altare* accipit pro materiali quopiam Altari, sub quo concludantur omnes Animæ interfectorum propter verbum Dei, risum commoveat, ut pote qui in nubibus ædificet. Itaque animadvertite, visionem istam factam fuisse Johanni in Cælo, quo nempe is raptus fuit spiritu. *Ecce ostium apertum in Cælo. Ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc. Et statim fui in spiritu* &c. Apocal. iv. 1. Cœlestem ergo Regiam exhibet ad instar Templi, ubi mystica candelabra & lampades, mysticum Altare & Sedes, sive Thronus Dei Patris cum Agno sedentis, ad quem Seniores, idest Angeli, alique Curie cœlestis incolæ dicebant: *Sedenti in throno, & Agno, benedictio & honor & gloria* &c. Quum ergo sub Altari Johannes conspexit Martyrum Animas, non in terrestri quodam carcere eas vidit, ut somniat Burnetus, sed quidem in Cœlesti Templo, ibique, ubi divina Patris majestas & gloria Agni, hoc est, Christi ad ejus dexteram sedentis, effulgebat. Expetebant insuper Martyres vindictam sanguinis a se pro Christo fusi: quibus responsum fuit, *ut requiescerent adhuc tempus modicum*, hoc est, expectarent vindictam post modicum tempus: quod & re ipsa factum est in proximo Judæorum excidio, aut in everfione Regni & Religionis Gentilium, a quibus tam enormia supplicia retulerant Christi Fideles. Atque hoc ipsum a Domino prædictum fuerat non uno in loco, sed præsertim Luc. xviii. 8. *Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum*. Ad hæc, minime expectato tempore vindictæ illius, *data sunt Martyrum Animabus singulæ stolæ albæ*. Quid, quæso, *Stola* ista significat, nisi *Stolam Gloriæ*? qua ornatum Dominum quoque Jesum Christum prænuntiavit Isaia lxxiii. 1. *Iste formosus in Stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ*. Ita mulieres ad sepulcrum Domini post ejus Resurrectionem convenientes, Marc. xvi. 5. *viderunt juvenem* (idest Angelum) *sedentem in dextris, coopertum Stola candida*. Quæ *Stola* Marco est, a S. Luca appellatur *vestis fulgens* xxiv. 4. Matthæus etiam xxviii. 2. scribit: *Angelus Domini descendit de Cælo, & accedens revolvit lapidem*. Erat autem *aspectus ejus, sicut fulgur, & vestimentum ejus, sicut nix*. Quare nulla dubitatio futura est, quin *Stolæ* symbolo designetur Gloria Sanctorum, & quidem in Cælo. Nam subdit S. Johann. cap. viii. 1. *Factum est silentium in Cælo. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei*. Et alius Angelus venit, & stetit ante Altare, habens thuribulum aureum; & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super ALTARE aureum, quod est ANTE THRONUM DEI. Non alibi Altare illud, nisi in Cælo, & quidem ante Thronum Dei. Atque hoc Cœleste Altare passim Sancti Patres deprædicant, ita ut sub hoc nomine æternam Beatitudinem & Visionem Dei, qua Justorum Animæ fruuntur, aut ipsam Christum significet. Unum de S.